

1837



Joannes à duccu  
 Lucas à duccu  
 fecerunt

die de Jode 24. 1593

## HISPANIA.

nebula inficitur. Frugum copia nullis terris posthabenda est, nec enim vlli cedit vitibus, vincit oleis, frumento abundat, &c. Argentum & aurum habet, ferrarijs nunquam deficit, sed aqua ipso ferro violentior, quippe temperamento eius ferrum acrius redditur, nec vllum apud eos telum probatur, quod non aut *Bilbili* fluuiio, aut Chalybe tingatur, vnde etiã Chalybes huius fluuii accolæ appellati, ferroq; cæteris præstare dicuntur Equorum præterea Hispanicorum pernices greges omnibus commendantur. Et sicuti in omnibus reliquis hæc terra, ita etiam fluuiorum numero abundat, numerantur enim centum quinquaginta tres. Ex his autem quinque cæteris tum maiores, tum famosiores sunt. Iberus nimirum Cantabrię iugis (prouincia de Campo dicunt) duobus ex fontibus è rupe scaturientibus, haud procul oppido Iuliobriga, dilapsus per Celtiberos, mare subit Balearicum. Reliqui sunt minius, Durus, seu Duero, Tagus poëtis celebratissimis, Ana, qui nunc Guadiana, hic 30. mill. pass. à fontibus suis decurrens, obtusis totum se propere condit cuniculis, rursusq; stadiorum 64. peracto cursu subterraneo, ad oppidum Villarta totus renasci conspicitur, Baetis nunc Guadalquebir, Xeuil. &c. Montes totius Hispaniæ præcipui sunt Pyreneus Galliam ab Hispania distinguens. Mons Argenteus nunc Sierra Alcaras, Marianus mons nunc Sierra Morena Hisp. dicitur, Solorins mons, Mons Ipsa seu Illipula, quem des Neiges & Neriade vocat, ob niuium ibi frequentiam, Cacus mons nunc Moncayo, Idubeda seu Iubalda, Vnindius nunc Doc, Temeranus, Calpe vna Columnarum Herculis, Toralbus Tagi fontes habens, & plerique alij montes quos omnes enumera-

re loci angustia haud patitur. Dicitur in Andraluzæ prouincia Antequarri ciuitati propinquus fons esse, naturali sibiq; innata quadam vi medicata, renum vesicq; lapidem soluere, sunt & plures in Hispania aquarum medicatarum thermæ. Insulæ autem Hispaniam circumiacentes in Occiduo primum Oceano Berligam dicta, & decem illæ quæ Baionã respiciunt, & Gallatiæ obiectæ Cassiterides in Oceano Athlantico Gades seu Gadera visitur, & que Aphrodisiæ vocabantur in stricto Herculeo, At in Balearico mari Formentera, Yurca, Dragonera, Maiorica, Minorica visuntur. Quas verò Cantabricus exhibet Oceanus Trileuci vocantur scopuli. His verò terminis circumscribitur Hispania, vt à Sept. Cantabrico, Aquitanicoq; Oceano finiatur, ac Pyrenæi iugis à Gallia segregetur, Orientale latus Balearici maris littora claudant, Meridionalem plagam Mediterraneum mare, strictum Herculis Athlanticusq; excipiant Oceanus. Initium verò sumit suum ab Occidentis parte à gradu longit. 4. vbi Caput Finis terræ, Orientemq; versus extenditur vbi longissima est ad grad. vsque long. 20. vbi portus Colibre: à Meridie verò latit. eius initium facit grad. 37. à Sept. eandem latitud. grad. 45. finit. Subiacet itaque à 4. climat. fine, vsq; ad medium 7. Parall. itaque eius Australissimus est 11. numero, Heterosciorum verò 5. diesque ibidem prolixior hor. 14. Septentrionaliss. autem est 15. Heterosc. vero 9. diesque ibidem prolixior hor. 15. longa autem ab Occasu in Ortum vbi longissima milliar. Germ. 180. Ital. 720. lata verò à Merid. in Septent. German. 135. Ital. 540.

## LVSITA-

## HISPANIA.



**H**ISPANVS decimus huius regionis rex, Hispali noni regis filius, & Lilyci Herculis nepos, toti huic Prouinciæ suum nomen communicauit, cum prius Iberia diceretur, mutuata appellatione ab Ibero secundo rege, à quo etiam Iberus fl. Ebro nunc vocant, nomen accepit. Regio Germania minor est, Gallia verò maior. Regiaq; dignitate pollet, quanquam complura in se regna contineat, quare nunc in prouincias suas in se secabimus, cum prius quo pacto eam veteres diuiserint explicauerimus. Ab illis itaque primum duas in partes dispesci solita est. Quicquid enim terrarum Solorij montis iuga ad Orientem relinquunt Citeriorem, quicquid verò ad Occidentem Vteriorem Hispaniam voluere veteres. Hocque modo distinctam Hispaniam in tres rursus partes distribuere antiquissimi Romanorum in Baeticam, Lusitaniam & Tarracensem. Deinceps verò, vt ius facilius diceretur, in quatuor dispesci partes cæpta est ab iisdem, Baeticam nimirum, Lusitaniam, Gallaciam, & Tarracensem. Hodie vniuersa terra in quatuordecim distinguitur prouincias, seu regna, olim quidè priuatis suis regibus parentia, nunc verò omnia in vnū penè regnū coaluerunt. Tarracensem siquidem Hispaniæ nouem subsunt regna, quorum hæc sunt nomina, legionis regnum nunc Castiliæ veteris nomen sortitum, Asturorum ac Seburorum olim sedes, primariam urbem habet Leon. Versus Ortum ad Cantabrici Oceani littora Biscayæ regnū vicinū habet Cantabrorum locū, eius Bilbao Metropolis est. Huic verò itidem in Ortum cõtiguum Lepuzcæ regnum Vasconum antiquorum pars, urbem agnoscit Metropolitanam, eam cui S. Sebastiano nomen est. Eius Austrino limiti Nauarræ regnum annectitur, Cantabrorum, Vasconum, Vardulorumq; pars, eius caput Pampelona. Id rursus Meridiem versus Aragoniæ regnum respicit, cuius populi Berones & Celtiberi fuere, & præter hos Ilerdenses, quorum ciuitatem Leridam hac ætate dicunt, publicis Gymnasijs Famatam, principatū verò habet Cæsar-augusta ciuitas, Hispanis Caragoza vocata. Id inter Orientem ac Austrum Cathaloniam excipit, cui Gothos, Alanosq; Septentrionales Germaniæ populos nomen dedisse fama est, ab vtrisque cõposita dictione Gothalaniam. Hic loci à Ptolemaeo Castellani, Cosetani, Teretaniq; ac Indigetæ populi locantur. Sunt etiã qui Cathos Germaniæ populos, nunc Hessos, à se Cathaloniam denominasse credat. Regi caput est Barcelona ciuitas maritima. Huic in Meridiè vicinū est Valentiæ regnū, cuius Segorbienses, numantiniq; Celtiberorū pars, vetusti coloni fuere. Ciuitatem Metropolim sibi cognominem Valentiã habet. Id iam

in eodem Balearici maris littore Murriæ regnum suscipit Austrum versus. Cuius olim loca Contestani ac Celtiberi Bassetani coluere. Regni ciuitas primaria est Murcia. In Mediterraneis Toleti regnum est, quod Nouæ Castiliæ dicunt, totius Hispaniæ præcipuum ac Meditullium, Carpitanorum, Vergonumque ac Celtiberorum partes olim possessio. Toletanam urbem quidem Metropolitanam agnoscit, Regiæ verò sedis locus est Madril. Atque hæc sunt nouem illa regna Terraconensium Hispania comprehensa. Baeticæ autem regioni tria subsunt regna. Horum præcipuum est Granatense, id Mediterraneo mari post Gades proximū, à Bastulis ac Tucidulis populis aliquando habitatum, Sarracenorum propugnaculum diu extitit, Granadam olim Iliberiam dictam primariã agnoscit. Occidentem versus Andaluziæ regnum vicinum habet, Vandalorum qui eam Hispaniæ partem cum vicina Africæ portione occupauere vestigium. Siuiliam olim Hispalim dictã habet regiam, totius propemodum Hispaniæ emporium celeberrimum. Vterius Occidentem versus Extremaduræ regnum occurrit. Emerita Augusta, nunc Meridã vocant, vrbs Metropolitana. Ultra Anam autem flu. Occidentali Oceano Lusitania obtenditur, nunc Portugallia, quasi Gallorum portus dicta. Vlisiponam urbem regiam habens, emporium augustissimum totius fere orbis Mercatoribus frequentatur. Id versus Septentrionem vltimum Hispaniæ regnum Gallaciam respicit, Nerio promontorio, cui capiti finis terræ nomen fecere vicinum, id Cõpostellam D. Iacobi agnoscit urbem primariam. Eius populi veteres fuere Callaici, Artabriq; que. Præter hæc Hispaniæ regna numerantur in ea (exceptis Lusitaniæ seu Portugalliæ proceribus) Duces 20. Marchiones totidem, Comites 60. Vice comitum, Baronum, Præfectorum, Vice-regum, Gubernatorum, Mariscalium aliorumque virorum principum incomptus est numerus. Ordinum Equitum magistri 4. Cardinales 8. Archiepiscopi 9. Episcopi 46. Iuridici conuentus 4. Vniuersitates seu Academiæ 7. Portuum vbique summa est commoditas, quæ res ad Mercatum rerum, cum exportandarum tum importandarum sumirificè illis conducit, diuitiarumque summarum causa est. Feruntur Hispanorum corpora ad inediam, laboremque animi, ad mortem parati, dura omnibus & stricta parsimonia, potationibus minimè dediti, bellum quàm otium malunt, &c. De Hispaniæ autem temperie fertilitateq; hæc ferè sunt quæ ab authoribus traduntur. Hispania nec vt Africa violento sole torretur, neque vt Gallia assiduis ventis fatigatur: sed media inter vtramque, hinc temporato calore, inde felicibus ac tempestiuis imbribus, in omnia frugum genera fecunda est Salubritas cæli per omnem Hispaniam, æqualisque aëris spiritus, nulla paludum graui nebula

GG

HISPANIA - de JOPE, 1593

Compos. in Cartographia Merlandica  
3721 AA BILTHOVEN - Holland  
in October de 1994 no 2430 floris = 225.10000

